

cumentum suo malo Ludovicus Crassus, Galliae rex, qui cum de Richarda uxore sua castissima sentiret male, et vocasset adulteram, nec tamen de hoc crimine posset convincere, pœnas luit, nam derelictus est ab omnibus etiam domesticis, tantaque pressus inopia, ut vel tenuem victum emendicare ab Arnolde Bavariae ducis filio coactus fuerit, nec multo post mœrore confectus obierit, anno 887. Bellet. *ite* in Crasso. Factum inde ut corona imperii Romani anno sequenti a regibus Galliae tolleretur, et in Arnulphum, ut sentit Genebr. transferretur. Surdus hic si fuisset ad aniles fabulas de conjugum confictas, forsitan coronam imperialem cum regia non perdidisset. Laudatur ex hoc capite fortis illius mulieris maritus, Pr. XXXI. his verbis: *Confidit in ea cor viri sui et spoliis non indigebit*, q. d. quia sine zelotypia confidentiam in uxorem habet; ideo ipsa tam strenue se geret in familiarum regimine, et viro non sit opus sectari spolia, aut cuiquam inservire, vel, ut accidit Crasso, victum emendicare.

IV. Cæcam porro esse conjugem voluit Alphonsus rex, primo, ne vicissim ipsa curiose inspicat acta viri, v. g. an cum aliis feminis sermocinetur aut rideat. Hoc enim viro permolestum atque injuriosum est, teste Eccles. c. XXVII. « Dolor cordis et luctus mulier zelotypa, videlicet, quia sua lingua velut flagello continenter miserum virum ferit, semper cum eo expostulans aliquando conviciis proscindens, » inquit in eum locum Palacios. Unde mox subdit Ecclesiasticus: *In muliere zelotypa flagellum linguæ, omnibus communicans*: quia suam zelotypiam et indignationem tacere nescit, sed obviis quibusque exponit, conquerendo de marito, et de æmula vindictam expetendo. Exemplum audite. Joanna Philippi Hispaniarum regis conjux videns quod maritus semel oculos conjecisset in capillum ejusdam puellæ de gynecæo flavidine gratiosum, correpta zelotypia clamoribus et querelis totam regiam implevit, faciem puellæ vibicibus fœdavit, correptaque forfice capillos eisdem abscidit, viro denique a tergo semper adesse voluit. Refert Gomezus de reb. gestis fr. Nimenii, l. Quantum ista flagellum et suo et mariti tergo infixit? Quæ si cæca fuisset, nec ad mariti oculos suos oculos conjecisset utique et ipsa et rex in pace vixisset.

V. Ne in alios viros, præter maritum, curiosos oculos defigat. Oculi enim amoris pronubi sunt, et facile in aliorum concupiscentiam intuentem trahunt. Hinc sanctæ illæ mulieres sepulcrum Christi ingressæ, cum vidissent duos viros, angelos nimirum in veste fulgenti, in ipso sepulcro sibi timuerunt, et declinaverunt ocu-

lum in terram, Luc. XXIV. Bone Deus! Si vel in sepulcro periculosum feminis est, viros aspiciere, quid erit in foro? Prof. erea antiqui prohibere suis feminis prodire in publicum capite aperto. Unde Tertulian. de pallio, c. IV. Habes spectare inquit, quod Cæcinnæ Severus graviter senatui impressit; matrona sine stola in publico. Cui accedit Val. Max. l. VI. c. III. referens, Sulpitium Gallum uxorem dimisisse: *Quod eam capite aperto foris versatum cognoverit, sex enim aiebat tibi meos tantum præfinit oculos, quibus formam tuam approbes, etc.* Severum profecto hoc supplicium fuit, uxoribus pavendum, præsertim Christianis, quæ arctiori vinculo maritis suis addictæ sunt. Cogitent periculum, quod adiit uxor Putipharis, quando in Josephum speciosum servum heri sui, oculos coniecit, indeque in amorem ejus adeo exarsit ut etiam reluctantem rapere ad se conaretur, Gen. XXXIX.

VI. Ut instar cæci a marito duci se permittat, ad nutum ejus parendo. Id enim a primæva institutione ipsi injunctum est quando dictum est Evæ: *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui*. In quæ verba D. Chrysost. hom. XVII. in Gen. ita scribit: *Quia nescivisti imperare, discas bene regi*. Et paulo post: *Melius est ut illum (Adamum) dominum habeas, quam impavide et libere vivens per præcipitia feraris; nam et equo utilius est fræno regi, et compositæ ingredi, quam sine illo per præcipitia ferri*. Quis etiam nescit cæco longe utilius esse, si regatur a vidente, quam si absque duce hinc oberret? Sic enim etsi non suis, alienis tamen oculis videt, et gressus suos dirigit; si, ut ait apostolus, vir caput est mulieris, fateatur oportet mulieri, se non nisi oculis viri regi. Sic non impinget, quinimo, ut dixit sapienter olim Publ. Mimus: *Casta ad virum matrona parendo imperat*. Sapienter, inquam, quia vir talem mulierem reveretur, adeoque nihil non ei permittit, ac concedit. Experta id fuit uxor Abrahamæ Sara, quæ quia viri imperic per omnia paruit etiam cum in periculo violationis apud regem Abimelech suasu mariti dixisset esse sororem ejus (Gen. XX.) et velut cæca duci se in exteras atque ignotas regiones permisit, id consecuta est, ut Abraham nihil e negaret. Petiit illa ut ancillam Agar duceret in uxorem ad progignendam prolem: obsecutus est Abraham, Genes. XVI. Petiit deinceps, ut vi ejiceret ancillam cum filio suo, velut sibi molestam; obtemperavit Abraham et dimisit eam Gen. XXI.

Hæc, o novi conjuges, si, ut exposui, observaveritis, tranquille, et citra querimonias haur dubie simul cohabitabit; et erit *Dominus vobiscum*, atque *implebit benedictionem suam in vobis*

## CONCIO IV.

## CONJUGIUM INITURI AD CRUCEM SE PERGERE COGITENT, EX SOMNIO ARTEMIDORI.

Artemidorus philosophus, Paldianus, qui de in somnis, auspiciis et chiromantia libros quatuor conscripsit, malum omen esse prodidit, si quis somniet se in crucem agi, aut ligno affigi. Infaustum haud dubie prognosticum. Sed dicat nobis ille, quid rei illo somnio significetur. Respondet in oneirocriticis, lib. II. cap. LVIII. *Viro uxorem non habenti nuptias prædicere*. Delirasse videtur hic philosophus. Quis enim non fugit crucem velut horridissimam? E contra vero nuptiæ quanto studio appetuntur? Quanto gaudio celebrantur! Et tamen a veritate, si rem examinemus, non multum aberravit hic philosophus: quinimo rem acu tetigit. Quod quidem ego ad vos novi conjuges, non ut a bene cæpto opere vos absterream; sed ut fortitanimo esse jubeam et obarmem ad ferendam istam matrimonialis status crucem; quæ etsi cruci Christi multum dissimilis est, vestra tamen virtute eidem modo aliquo conformari potest, ut quemadmodum ipse de cruce sua ad beatam resurrectionis gloriam ascendit; ita et vos de vestra hac qualiquam cruce ad eandem gloriam pervenire possitis. Nunc audite et armate vos.

I. Qui cruci affixus est, non est sui juris; unde nec de cruce descendere, nec manum aut pedem inde referre potest, quia ligno affixa habet adeoque quasi non habet. Simili modo conjux quisque non jam suus est, sed conjugis, cui affixus est, quamdiu ipse vel conjux vivit. Ita expresse scribit apost. I. Cor. VII. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*. Et infra: *Mulier alligata est legi (pari modo vir) quanto tempore vir ejus vivit, etc.* Unde primo, non licet conjugem excludere a thoro vel domo, vel ab eo recedere, nisi ex causa gravissima, ejusmodi esset, morbus contagiosus, aut adulterium, de quo Christus, Matth. V. *Omnis qui dimiserit uxorem, excepta causa fornicationis, facit etiam mœchari*. Exponeretur enim ejecta manifesto lapsus periculo, proles ab ea abalienaretur, aliaque incommoda sequerentur. Unde et apostolus I. Cor. VII. ait: *lis qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari*.

Deinde, multo minus licet fidem conjugum frangere, qua se mutuo obligarunt: ne quidem si alter fidem fregisset, adeoque locum hic non habet, quod dici solet: *Frangenti fidem, fides*

*frangatur eidem*. Ut enim hoc in aliis contractibus valeat in quibus nihil statuit Deus: non licet tamen in matrimonio, quia id expresse vetat Dei lex: *Non adulterabis, non mœchaberis*. Neque fas est uni adulteranti potestatem conjugum facere vel permittere, ut et ipse adulteretur; uti fecisse fertur Ottocarus rex Bohemiæ infelix, idque ita excusasse: *Cornua qui fecit, cornua et ipse ferat*. Itaque si conjux alter ad flagitium tale a quocumque invitetur, dicat: *Non sum meus, sed mei conjugis: solus ille in me potestatem habet*. Cum ad tentandum, ait Sanctus Chrysostomus, hom. XXIX. in lib. ad Cor. *meretrix accesserit, dicas non esse tuum corpus, sed uxoris; itidem et uxor dicat iis, qui volunt expugnare pudicitiam: Corpus meum non est meum, sed viri*. Imitetur in hoc Christum, qui ab impiis provocatus ut descenderet de cruce, renuit, tametsi id ei liceret nec difficile foret; conjugum vero descendere nec expedit, nec licet, sed plane exitiosum est.

II. Qui in cruce pendet, corporis mole prægravante et vulnera manuum deducendo continuo cruciatur, et distentis nervis patitur. Idem accidit conjugatis, ut testatur apostolus I. Cor. VII. cum ait: *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco*. Hoc est commiseror. Quod explicans Sanctus Augustinus, lib. de s. virginitate, cap. XVI. ait: *Tribulatio autem est in suspicionibus zeli conjugalibus, in procreandis filiis atque nutriendis, in timoribus et mororibus orbitatis. Quotus enim quisque cum se connubii vinculis alligaverit, non istis trahatur atque agitetur affectibus, etc.* Potest esse conjugium sine reatu, sed non potest esse sine tribulatione, sine dolore et timore. Aut enim bene ac suaviter convivunt conjuges, et timent ab invicem separari: aut male inter se conveniunt, et quid tunc habent nisi crucem? Eo pertinet, quod D. Paulinus, ep. XXXIX. ait: *Nunquam in carnalibus affectionibus ita quiescit animus, ut cruciatu careat; dum necessitudines suas, aut bonas amat cum amittendi metu, aut malas odit cum amittendi voto, in utroque miseris sustinendis obnoxius*. Unde non absurde dixit Hipponactes: *Bini dumtaxat sunt cum uxore jucundissimi dies, alter quo ducitur, alter quo mortuo effertur*. Cæteri ut plurimum pœnales, ærumnosi, tristes. Alius liberalius matrimonii statum oblongo comparuit gladio ejus solum capulum pendet, totum quod in eo reliquum est, terret, scindit, pungit. Ita enim in conjugio solas nuptias et initium lætificare nuptos, omne quod superest vitæ plenum esse miseris et ærumnis, aiebat. Sed quod tandem his malis remedium? Audiamus D. Chrysostomum, l. de virginitate, cap. XL. « Quid si vir moderatus est, ait, uxor

vero nequam, maledica, loquax et (quod commune est mulierum) præsumptuosa, multisque aliis imbuta vitiis fuerit? Quomodo miser ille quotidianam hanc molestiam, superbiam et impudentiam perferet? Quid si acciderit contra, probam illam et mitem esse, virum autem ferocem, insolentem, iracundum, et inflatum, qui uxorem liberam habeat pro ancilla, et nihilo melius in eam, quam in famulam sit animatus? Quomodo necessitatem hanc et viam tolerabit? Quid denique si vir ab uxore continenter aversus perpetuo abhorreat? Perferat oportet omnem istam servitutem. Tantum enim illa sui juris futura est, cum vir e vita migraverit. Nam quamdiu vixerit, alterutrum necesse est, ut vel tam magno regat studio, ac moderetur, et meliorem faciat, aut bellum minime denuntiatum et perpetuum prælium fortiter sustineat. » Ita vir hic sanctus; cujus consilio quod aliud melius suggerem non invenio.

III. Qui cruci affixus est, nihil jam de mundo et mundanis voluptatibus aut deliciis cogitat. Sed mundo se mortuum credit: imo mundum despicit et ab eo ipse despicitur: ita qui matrimonio juncti sunt, sibi persuadere debent se in connubio quasi in cruce esse, severa et strictæ legi eos obstrictos, adeoque mundanis voluptatibus, ut choreis, conviviis, confabulationibus, pompis, vestium luxui mortuos: imo hæc sibi jam horrore esse et crucem videri, ut ipsi suo modo dicere possint cum apostolo ad Gal. VI. *Mihi mundus crucifixus est et ego mundo.* Hoc est, mundum ego uti crucem horreo: et vicissim mundus me ut crucem aversatur et fugit. Quo pronuntiato non solis religiosis, sed Galatis etiam conjugatis in exemplum se proponit et suadere conatur, ut profanis mundi gaudiis se abdicent. Cui consonat S. Chrysostomus, qui hom. LVII. ad pop. Antioch. monet, ut urbem inhabitantes monachorum sapientiam imitentur. *Quoniam, inquit, in principio ab apostolis instructi homines civitates quidem habitabant et solitudines petentium pietatem exhibebant. Alii vero officinis præpositi, ut Priscilla et Aquila, et omnes prophetæ et uxores habebant et domos ut Isaias, Ezechiel et magnus Moyses, et inde nihil ad virtutem lædebantur.* Quod imprimis uxores, quia domo fere affixas esse deberent, non difficile præstare potuerunt. Idcirco, ut scribit Plutarchus, in Laonicis, in Charilla apud Lacedæmones, virgines quidem aperta facie, viris autem junctæ mulieres velata prodire solitæ erant; ut nimirum illæ maritos invenirent, istæ viros jam habentes aliis placere nollent, adeoque nequidem nosse eos cuperent. Hujusmodi erat illa Hieronis Syracusani uxor, quæ

a viro objugata, quod sibi graveolentiam oris sui nunquam indicasset, respondit: *Arbitrabar sane omnes viros ita olere.* Id Plutarchus, in Lacon. Adeo ista præter suum non agnovit alium virum. Magnum hoc profecto decus conjugale est, ita conjugii suo alligatum esse, ut quasi cruci affixus ad viros aut mulieres accedere non possit, imo neque nosse quemquam velit. Atque hæc est illa crux, cui vos, novi conjuges, hodie affigitis; sancta et salubris, si eam non deseratis, sed constanter ad montem calvariae, h. e. ad mortem usque gestetis, dulces enim vobis fructus feret, et beatam denique resurrectionem, adeo ut eos quoque cum S. Andrea ad crucem ducto, dicere modo aliquo possitis: *O bona crux, suscipe nos et redde ei, qui pro nobis pependit, Dominus noster, etc.*

## CONCIO V.

HASTIS ARMANDI CONJUGES, EX ANTIQUA NUPTIARUM CEREMONIA.

Mirum quid Plutarchus, in quæstionibus Romanis, q. LXXXVII. scribit: *Nuptiarum, scilicet, comam hastis decriminari solitam.* Causam si roges, respondet: *Quia bellicosus jungantur maritis, debere ipsas quoque a luxu alienas et bellicosas esse.* Itane vero in conjugio etiam bella gerentur? Omnino et quidem crebra variaque, ut vix alibi plura. Testem adhibeo in primis S. Hieronymum Ecclesie doctorem, qui in l. contra Jovinianum scribit: *Qui non litigat, cælebs est.* Quis ergo litigat? Utique qui non cælebs, sed matrimonio junctus est. Cum Hieronymo concinit D. Basilius M. ep. I. dicens: *Conjugio mancipatum curarum agmen excipit, in orbitate desiderium prolis, uxoris custodia, domestica procuratio, servilium officiorum constitutio, digladiationes cum vicinis, forenses concertationes, negotiationis alea: unaquæque dies suam adfert animo caliginem.* Ecce tibi materiam plane copiosam pugnandi et bellandi. Contra tot impugnatores nonne hasta opus habent tam uxor quam maritus? Quare vos novi conjuges ad militiam vos armate, atque ut possitis stare contra hostes vestros, arma vobis subministrabo.

I. Primum maximumque certamen erit inter vosmetipsos. Quoniam tu mi sponse, si duxisti formosam, habebis quod agas ut eam custodias; si deformem, habebis pœnam: si pecuniosam, habebis dominam: si pauperem sump-tus te obruet: si vetulam, si turpem, tumultuosam non amplius tibi jucunda erit vita, neque

omnino domum ingredi libebit. Quid tum facies rogo, nonne pugnandum erit, et quibus armis? Cogita imprimis, quod tibi intrivisti, tibi exedendum esse; et quod semel ipsa placuit, amplius displicere non debere. Ita enim respondet et merito S. Ambr. l. V. hexa. c. VII. « Ille (maritus) inquit, tua mala portat et levitatis femineæ facilitatem, tu virum tuum non potes mulier sustinere? Sed dices horridus et incultus est. Semel placuit. Numquid vir frequenter est eligendus? » Sic ille, quod etiam maritus sibi dictum sciat. Derisui se exponit, qui cœpit ædificare et non vult aut potest consummare. Expende secundo, non te solum hæere in hoc luto: multos in eo profundius demergi: et quidem viros optimos, Jobum, qui impropria uxoris: Abigailem, qui stultitiam mariti Nabal, forti animo sustinuerunt. Prætereo persuadeas tibi, te quoque habere nævos tuos, quibus conjugem tuam oneras, atque ita alter alterius onera portare. « Quod et onera invicem ferenda sunt, inquit S. Chrysostomus, h. XXVI. in I. ad Cor. multo magis uxoris. Si pauper sit, noli exprobrare: si stulta noli ei insultare, sed esto modestior, tua enim uxor est; si ebria, si iracunda, si stulta est, dolendum, non irascendum est, et Deo supplicandum, et ipsa admonenda et adjuvanda consilio et omni cura nitendum, ut his affectibus liberetur, apost. ad Eph. V. teste: *Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit: quis autem sui corporis non miseretur eique medetur si ægrotet? Quis nasum abscindit si distortus est? Nemo plane, sed qui potest corpori medetur: qui non potest, tolerat.* »

II. Alterum certamen erit forsitan cum orbitate, quæ Rachelem illam, Jacob patriarchæ conjugem tantopere afflixit ut mortem sibi optaret: *Da mihi liberos, ait ad maritum, alioquin moriar,* Gen. XXX. præ tristitia videlicet et mœrore. Nimirum res molesta est, tam grave subiisse jugum, quale est matrimonium causa liberorum, et tamen hoc fine privari. Sed quid respondit uxori Jacob? *Num pro Deo ego sum, qui privavi te fructu ventris tui? Ubi pulchre insinuat, qua ratione hæc afflictio expugnanda sit precibus videlicet constanter ad Deum fuis qui solus habet clavem uteri materni. His armis pugnavit cum Deo Isaac, qui postquam deprecatus est (Hebr. *jethar*, h. e. multum et constanter precatum est) pro uxore, quod esset sterilis ne viginti annos, Isaacum orasse pro uxoris fecunditate, tandem exauditum prolem, masculam eamque geminam obtinuit: quam et multi alii sancti tandem precibus impetrarunt, ac fere sanctam ut in primis parentes sanctissimæ Dei Matris, item S. Joan. Bap. et alii. Præter arma ista sumite scutum*

castitatis et bellum inferre impudiciæ, ac sperare certiore ac vivaciore prolem. Confirmat hoc Lipomonus, in catena, quærens cur (ut dicitur Ex. I.) Hebrææ mulieres fuerint ad partum faciliores, et feliciores, respondetque, quia scilicet major apud eas et conjuges vigeat castimonia, et exulabat impudicitia. *Hebræorum femina, ait, sicut castiores erant, sic et in partu fortunatiores. Vividiores hæc fecundiores esse dicuntur, quia maritis suis religiosius amata et tractata castius.* Verum quid si nec his armis expugnari queat hoc malum? Quorsum confugiendum nisi ad patientiam et cum divina voluntate conformitatem? Cogitate idem expertos esse multos conjuges, nec ob id minus se mutuo dilexisse: *Neque Abraham Saram, inquit, Chrys. ho. XXVI. in ep. ad Rom. tamquam sterilem contempsit, neque quidquam tale exprobat, sed uterque decorem servat.* Cogitate, quod suggessit Elcana conjugii suæ Annæ et ipsi quoque sterili: *Anna cur fles? Et quamobrem affligitur cor tuum? Numquid non ego melior tibi sum quam decem liberi? Quod si igitur conjuges optime inter se conveniant, et sincere mutuo se ament, non egent solatio liberorum, qui communiter plurimarum lacrymarum materiam illi præbent: cogunt diu noctuque laborare et negotiari, cum dispendio rei divinæ, et neglectu propriæ salutis provocant suspiria, cum depravantur, cum in parentes ingrati sunt, cum invitis illis se despondent, denique cum moriuntur. Quærant igitur Deum sibi amicum, qui melior ipsis erit, quam centum et mille liberi.*

III. Certandum erit cum liberis immortigeris, perversis, contumacibus, ingratis, nisi in timore Dei bene educantur. Expertus est id David, qui cum belli negotiis distentus filiorum curam neglexisset, sensit, eos sibi refractarios et scelestos, uti Ammonem et Absalonem, adeo ut illum a fratre interemptum plangere, istum armis corripere debuerit. Idem timuit et doluit Salomon, qui propterea omnem suam, quam in Roboamo collocarat, industriam detestatus est, Eccl. II. Sensere et alii reges et imperatores, uti Augustus cætera felicissimus (ut scribit Suetonius) sola prole propterea sæpius iterabat illius Homericum carmen: *O utinam cælebs mansissem orbusque perissem! Taceo alios.* Sed quid hic consilii? Nihil melius, quam ut parentes bono exemplo præeant filiis. Multos sapientissimos libros scripsit Salomon, nihilominus filius ejus Roboam ad regimen ineptus et dissolutus fuit, quia non tam ad libros parentis quam ad lasciviam ejus vitam attendit. E contra pueri Hebræorum unde didicerunt acclamare Christo in templo: *Hosanna filio David?* Utique

a parentibus, et qui ipsi pridie Christo ingredienti Jerosolymam iisdem verbis acclamarant: Hosanna filio David, Matth. XXI. Joan. Bapt. a quo didicit aulicis. Am illum, quo excepit Christum ad se venientem: *Et tu venis ad me?* Matth. III. utique a matre, quam in utero ejus adhuc clausus, sed jam rationis usu præditus, audivit simili voce loquens: Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Luc. I. Nimirum schola et gymnasium liberorum sunt mores parentum et ut loquitur S. Chrys. in Ps. XLIII. Filiorum schola et libri sunt ora eorum, qui ipsos genuerunt. Observarunt aliqui reperiri in visceribus apud speciem bubuli capitis; eo quod ex illo etiam nascantur, uti fatetur oculatus testis Aldrovandus, l. de apibus. Ita sit cum filiis: acquirunt et gerunt bubula, h. e. stupida et cornuta capita, quando nascuntur et educantur a parentibus, qui similia capita gerunt. Videte igitur conjuges, quibus vivendi exemplis præeatis filiis vestris. Plus multo observant vos, quam credatis. Burdegala, anno 1528. fraterculi duo, unus sexennis alter septennis, interrogati a magistratu quomodo eorum mater in puteum incidisset, responderunt: *Cum visset haustum aquam veniens a tergo pater, apprehensam pedibus elevavit et præcipitavit.* Inde pater proditus, paricidii poenas dedit. Refert Chavassius, l. II. de prudentia christ. c. XII. § III. En quam ad parentum acta filii attendant.

IV. Pugnandum erit cum adversa fortuna, cum paupertate, exilio, morbis, morte denique liberorum vel alterius conjugis. Sed qua hasta vos novi conjuges hæc mala oppugnabit. Utique illa, quam Deus vobis proposuit cum dixit Gen. II. *Relinquet homo patrem et matrem adhærebit* (seu conglutinabitur ut vertit Tertullianus) *uxori suæ*, ita scilicet ut tam in adversis, quam in prosperis vos invicem non deseratis, sed mutua ope juvetis. Hoc enim ut ait S. Chrys. ho. XXXII. in Genesi: *Vere est conjugium quoniam non solum in prosperitate, sed in periculis simul obambulat.* Loquitur autem de Sara, quæ Abrahamum suum per omnes peregrinationis suæ labores et difficultates secuta est. Quo titulo etiam celebrantur inter gentiles feminas Flaccilla quæ Nonum Priscum, et Egnatia Maximilla, quæ Glictionem Gallum, utraque maritum in exilium comitata est, ingentium opum jactura, quod urbe et Italia discessissent; ideo maxima gloria apud omnes fuere. Apud Lud. Vivem, l. de fem. christ. Nec minas laudanda Theogena, Agatholis Siciliæ conjux, quæ ab ægro marito nullo modo se divelli passa est, dicens: *Nubendo se non prosperæ tantum, sed omnis fortunæ iniisse*

*societatem*, apud Cor. a Lap. in c. II. Gen. Turpe profecto foret conjugibus christianis qui multo sacratori vinculo connectuntur quam Judæi aut gentiles, non præstare id, quod illi præstiterunt.

V. Pugnandum forsitan erit cum conjugis zelotypo; qui hostis omnium acerrimus est et infernus quidam, uti vocatur Cant. VIII. *Dura sicut infernus æmulatio.* Nam qui zelotypia laborant, inquit S. Chrys. ho. XXXVIII. in Gen. *et bonum pacis amittunt: etiamsi magnis affluant divitiis, etiamsi sumptuosas habeant mensas, etiamsi clarifuerint et nobiles, miserimi omnium sunt.* Audiant igitur conjuges Eccles. c. IX. qui hoc argumento zelum illum dissuadet: *Non zelus mulierem sinistui, ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam,* Græce: Ne doceas in teipsum doctrinam malam. Nitetur enim in vetitum et quasi in ultionem sui id faciet, quod de ipsa sinistre vir suspicatur. Optimum igitur remedium est, quod suggerit S. Hier. l. I. contra Jovin. « Quid tibi profuerit, inquit, zelus et nimia diligentia in servanda uxore tua? Si enim inhonesta fuerit, vix illam custodire poteris: si casta et honesta custodia opus non habet. Infida enim custos castitatis est necessitas, etc. » Hoc declarare possumus gratioso illi apologo, quem Barlaam eremicula dedit Josaphato filio regis Avennis, apud Damascenum in vita ejus, cap. X. dicens, comprehensam a quodam aucupe philomelam, cum mori jugulari deberet, hominem rogasse, ut dimitteretur pro insigni documento, quod ipsi datura esset. Accepta lege: « Tria, inquit philomela, servato in omni vita tua: rem quæ apprehendi nequit, apprehendere ne quærito; rem quæ non est verisimilis, ne credito; rem perditam quæ recuperari nequit, ne plangito. » Dimissa avicula arbori insedit et affari hominem cepit: « Væ tibi, quid fecisti et quantum bonum perdidisti? Etenim in meo ventre maximam gero gemmam, quantum est ovum struthionis, quod si exemisses omni vita beatus fores. » Mox ille lamentari et miris blanditiis avem denuo invitare in domum suam spondens omnem benevolentiam. Tum ipsa ridere hominem et reprehendere, quod doctrinam sibi traditam nequaquam observasset; siquidem si tantam gemmam in tantilla avicula contineri, incassum vero dimissam assequi: stultum autem dolere ob rem factam, quæ infecta fieri nequit. Dico ergo nunc consimili modo tibi sponse nove, seu marite; vel uxor tibi bona et pia est, et noli credere fidem ab ea fractam esse; quia non est verisimile. Vel mala et inhonesta, et noli ejus custodia frustra fatigari; quia vix servare poteris: vel infida et adultera, et noli nimium dolere; quia quod fac-

tum est, infectum fieri nequit, nec recuperari id, quod perditum est.

His hastis, o novi conjuges, pugnare vobis permitto, imo etiam suadeo, ut tranquillo conjugio gaudere semper possitis.

## CONCIO VI.

DUCTURUS UXOREM UTRISQUE JURIS PERITUS SRT.

Creator hominum Deus, cum Adamo sponsam ex ejus latere formare ipsique tradere vellet prius immisit ei soporem profundum, ut Hebræorum *tar emā* notat, seu ut Septuaginta interpretes vertunt *ecstasin*, hoc est raptum, in quo docet S. August. l. IX. de Gen. ad lit. c. XXIX. et tr. IX. in Jovin. « Deus mentem Adæ mire illuminavit, ut cognoscere posset statum matrimonii, quem mox initurus erat; quasi non ludibunda res, sed seria et gravissima multæque considerationis sit conjunctio viri et feminæ sub vinculo matrimonii. Nec immerito, insolubile enim hoc vinculum multam requirit artem et dexteritatem, ut captivum quasi hominem in hoc carcere cum pace et tranquillitate contineat. » Quare S. Chrysostomus in ho. *Quales ducendæ sint uxores*, tom. VI. scribere non dubitavit: Quando igitur uxorem ducturus es, non solum civile jus, verum etiam ecclesiasticum legito. Deus bone! Quem non terreant verba hæc Chrysostomi, oris alioquin aurei? Vide igitur sponse, ut hæc jura perlegas; e quibus tibi nunc paucas proponam quæstiones.

I. Quid ages, si uxor tua domi tantum sedere, de fenestra prospicere, foras expatiari, denique se otio dedere velit? Vide quid jus ecclesiasticum dicat, Deut. c. XXII. ait: *Non arabis, in bove simul et asino.* Quid hoc? Jugo matrimonii collum si subjeceris, fac ut uxor tua et ipsa tecum jugum tuum trahat, et non sit velut asinus, qui tractioni inassuetus totum onus in conjugalem equum, et bovem rejicit, ipse nihil trahit. Væ tibi sponse, si talem sponsam nactus es. Vicissim beatus, inquit Sapiens Eccles. XXV. *qui habitat cum muliere sensata.* Quod Syrus ita vertit: *Beatus est vir uxoris bonæ, qui non arat in bove simul et asino,* hoc est quia non habet uxorem pigram et captiosam: sed strenuam, laboriosam et obsequiosam. Quare videat imprimis sponsa, ne talis asina sit, adeoque decorum de quibus Job. I. dicitur: *Boves arabant et asinæ pascebantur juxta eos, et irruerant Sabæi et tulerunt omnia.* Talis enim familia facile diripitur et corrumpitur, ubi uxor nihil adjicit nisi proles, qui substantiam om-

II. PARS HIEMALIS.

nem devorant. Sic ergo maritus *vir* et uxor sit *vira* seu *virago*; quo nomine appellandam voluit Adam, q. d. virilis. Cæterum nisi sponsus exemplo suo præeat ut bos fortis, sed potius et ipse asinus sit, nil mirum si et sponsa marito se accomodet. Propterea apud gentiles sponsa acclamabat sponso: *Ubi tu Caius, ego Caia*, hoc est, si tu bonus paterfamilias fueris, ego bona materfamilias ero. Imo quia robustior est vir, jus naturale dictat, ut graviolem jugi partem ipse in se suscipiat. Potest hoc ipsum ex jure divino demonstrare sponsa, adeoque convincere sponsum suum; quia dictum est a Deo: *Faciamus Adæ adjutorium simile sibi*, non dicitur æquale, sed simile. Omnis enim similitudo claudicat et in aliquo deficit. Ergo et a muliere minor requirendus est labor quam a viro.

II. Quid si uxor tua velit dominari et tibi leges ponere? Quid juris hic? Quid ages? Deprome legem apostolicam, I. Tim. II. quæ sic habet: *Mulieri non permitto dominari in virum.* Legem quoque divinam, quæ statuit mulieri: *Sub viri potestate eris et ipse dominabitur tui*, Gen. III. Allega et jus naturæ, quæ feminam viribus corporis, consilio, affectibus viro inferiorem fecit. Dicitur autem natura, ut qui plus habet virium, prudentiæ, cordis, etc. præsit ei, qui minus habet. Monstrum deforme esset, si discipulus magistrum doceret, cæcutiens videntem duceret, infirmus sanum gestaret. Ita probrosum est viro regi a muliere. Unde id exprobat variis Isaias, cap. III. cum ait: *Mulieres dominatæ sunt eis.* Denique provoca ad jus gentium, de quo testatur Cato apud Livium, l. XXXIV. *Majores nostri, nullam ne privatam quidem rem agere feminas sine auctore voluerunt, sed in manu esse virorum.* Unde et Aristoteles, II. polit. c. III. taxat Spartanæ viris imperantes.

Propterea ex more quoque gentium velatæ sunt mulieres, et caput nunquam aperiunt, etiam cum orant quod est signum subjectionis, uti apertum caput libertatis. Velamen vero mulierem quasi capistrum est, quo frænari ac duci debent: idcirco denique feminæ a viris, non a feminis sortiuntur nomina, uti apud Hebræos Maria Cleophae, Maria Jacobi, etc. apud Romanos Publia a Publio, Tullia a Tullio, Caia a Caio, etc. Porro etiam uxor, si maritus non virilem, sed muliebrem animum præferat in rebus gerendis, in moribus, in vestitu et allegat contra ipsum jus illud Deuteronomii, cap. XXII. *Non induetur mulier veste virili, neque vir utetur veste feminea: abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc.* Quod exponens S. Ambrosius: *Quam deforme, inquit, virum facere opera muliebria? Ergo et pa-*